

si hoc. Sed pace *magistri Petri* dixero, ipsum confudisse cum *Porcheti Victoria Alphonfi Bella Domini* (מלחמת יהודה) quae contra *R. Joseph Kimchi* Librum ejusd. tituli conscripsit, de quibus *Ambr. Morales* in *Nic. Antonii Bibl. Hisp. Vet.* T. II. p. 103. *Esto es libro de las batallas de Dios, que compuso Maestro Alphonso Conuerso, que solia haver nombre Rabbi Abner, quando era Judio.* De hoc *Alphonso* sub rege *Castellae Alphonso XI.* ad Christum traducto vide praeter *Nic. Antonium* cit. *Wolfii Bibl. Hebr.* T. I. p. 192. Obiit ille a. 1346. *Bella Domini* ipsemet etiam in linguam *Hispanam* traduxit. Fortasse *Magister* ille *Petrus* ea *Latina* fecit, et *Nota* superior ab alio aliquo temere huic Codici adscripta fuit.

CCCLXV.

306 Codex chartaceus lat. Sec. XV. ineuntis. Folior. 24. f. per duas columnas exaratus, manu seculi sequentis inscriptus est: *Talmut et improbationes errorum ibi contentorum; Dan. vero Nesselius* ad marginem olim notaverat: *Fr. Theobaldi Ordinis Praedicatorum Disputatio contra Judaeos et reprobatio errorum Talmud.* Qua nota ad *Jac. Echardum* Ordinis Bibliothecarium *Parisiis* missa, cum is inter Sodales suos Concilio *Constantiensi* adfidentes (Vide T. I. p. 757.) *Theobaldum de Saxonia* reperisset, prae-

sentem quoque *Tractatum* ejusdem nomini T. II. p. 822. quamquam dubius subjecit. Provide fane; inscriptum enim *Biblioth. Templi Mariani Stargardiae*, cujus notitiam debemus *Cbr. Schoetgenio* apud *Wolf. Bibl. Hebr.* T. III. p. 1164. autorem adpellat fratrem *therebaldum* superiorem ordinis *predicatorum in villa parysiensi, qui quondam fuerat judeus &c.* quamvis etiam nil repugnet virum hunc ortu *Saxonem* fuisse. Quod, si titulum *Tractatus* expendisset *Echardus*, deprehendisset, se de eo jam T. I. p. 738. egisse, ubi *Pharetram fidei contra Judaeos super Talmuth* recenset, *Anonymo* ibidem adscriptam. Est enim *Pharetra* illa pura puta *Disputatio* nostra, ut ex *Collatione* cum *Codd.* pluribus in *Indice* collectis novi. Praemittitur in praesenti *Cod.* Triplex illa *Cautela*, quae in solo *Cod. DCXV.* pariter habetur, hoc initio: *In disputatione Judeorum et contra Judeos nota triplicem cautelam &c.* Mox nominatur autor *frater Theobaldus* *subprior ordinis predicatorum*, et incipit *Opus: Acuite sagittas implete pharetras &c.* ut *Cod. CCLXX.* et alias; unde *Librario* cuidam visum fuerit illud *Pharetram* inscribere. Collatum cum *Exemplo*, quod ex vetusta quadam edit. *f. l. et a. 4.* repraesentavit *Wolfius Bibl. Hebr.* P. IV. p. 556. multo prolixius est; cum enim ibi tantum errores *Talmud* exagitentur, adsunt in nostro *evictiones* etiam *veritatis christiana*e,

nae, ut adeo nostrum geminum videatur illi, cujus Capita enumerat *Echardus cit.* T. I. p. 738. Ubi tamen illius Exemplum ait: Judaeos jam *plusquam mille trecentis annis* incassum ad Deum clamare, nostrum annos numerat *mille CCCIII.* Exemplum vero impressum in collectione *Günth. Zeiner Augustae* cum *Thoma de Kempis s. a. f.* non nisi *plus quam mille annos* adsignat, et quanquam in duas Partes, ut oportet, distinctum sit, multo tamen etiam nostro succinctius est. Illud addo: Praefatiunculam, quae in *Cod. nostro DCXV.* praefixa est hoc initio: *Tolle arma tua &c.* in mox memorata edit. occurrere ante secundam P. seu *Probaciones novi testamenti ex veteri testamento.* Ultima in *Cod. nostro* praesenti sunt: *non quiesces neque erit requies vestigio pedis tui Amen* *Explicit thalmut et cetera.*

CCCLXVI.

551 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 314. 4. a Variis currente calamo exaratus haec complectitur: I. *Excerpta*, ut in calce, de *Thalmuth.* Initium: *Talmut id est doctrina diuiditur in IIII. libros quorum quilibet appellatur Cezer &c.* Atqui nec IV. sed VI. neque *Cezer* sed *Seder* scribere debebat Librarius. Ita et alia passim corrupta sunt in *Libello*, cujus scopus, crassiora *Rabbinorum σφαλματα* confutare. Priorem ejus partem circa a. 1473. typis vulgavit in Col-

lectione *Opusculorum* quadam *Güntherus Zeiner Aug. Vindel. f.* inscriptam *Errores Judeorum extracti ex Talmut.* Totus vero continetur, licet diversimode ordinatus et interpolatus in *Pharetra* illa *Fidei* tributa *Theobaldo* cuidam O. P. cujus *Exempla* dedimus jam *Codd. praeced.* et pluribus aliis. Itaque hic tantum noto, *Librarium nostrum* *Opusculo* majorem aetatem adrogasse, quam aut scribendi ratio scholastica aut aliorum *Codicum* fides patiat, ubi enim is: *Nunc autem omnino proiecit eos deus, quia plus quam mille annis clamauerunt ad Dominum nec liberat eos de manibus Christianorum*, alii *mille trecentos* et plures annos ponunt.

II. fol. 10. Series *Quaestionum Theologicarum* methodo scholastica pertractatarum de diversis materiis, quas nomine *Disputationum Aularium* per *Feriarum aestivarum* tempus diebus *Veneris* sub *Priore*, ut vocabatur, *Collegii Ducalis* ventilatas fuisse a *Theologis Viennensibus* cum *Quaestio fol. 47.* inscripta *Domino Priori*, tum *Orationes* II. iis interjectae, de quibus mox, suadent. *Quaestionum* prima est: *Vtrum culpa secundum se magis mereatur supplicium, quam iusticia premium?* Dogmaticis mixta sunt *Moralia.*

III. fol. 121. et 125. *Orationes* II. quarum *Prior* incipit: *In presenti actu primo instancium vacationum iuxta laudabilem consuetudinem huius Collegij duo sunt.*